

Haec obiectio minime vera est, generat enim Empedocles elementa alterum ex altero, haec enim sua sunt:<sup>2</sup>

Terra autem his aequalis insinuavit se maxime  
Vulcano et imbri et aetheri omnia collustranti  
5 Veneris incitata libidine perfectis in pratis. Et clarius:<sup>3</sup>  
Et corrumpuntur in se invicem et augentur in parte fati.  
Ipsa enim eadem sunt per se invicem vero currentia  
Gignuntur homines et aliorum populi animorum.

Qua re nihil apertius dici potuit. Non ergo Empedocles sibi et  
10 rebus contradicit, tota ergo ruit eius capitis incusatio et ea etiam tota, quae totis 2. libri capitibus 6. et 7. est instituta. Cognovit enim Empedocles elementorum in se invicem generationem, non quidem apparentem, ut 1. De elementis illi adscribitur, sed veram. Ac si eius scripta omnia superessent, videremus forte ab eo motum  
15 elementis naturalem assignatum, quod Aristoteles ibidem negat, appareretque an vera illi obiiciuntur de gravi ac levi.

Sed ea quae aliquo modo possumus, persequamur. 1. De anima capite 2. scribit:<sup>i</sup> ὅσοι δ' ἐπὶ τὸ γινώσκειν καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι τῶν ὄντων, οὗτοι δὲ [δὴ] λέγουσι τὴν ψυχὴν τὰς ἀρχάς, οἵ μὲν πλείους ποιοῦντες τὰς ἀρχάς, οἱ δὲ μίαν ταύτην, ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς μὲν ἐκ τῶν στοιχείων πάντων, εἶναι δ' {δὲ καὶ} ἔκαστον ψυχὴν τούτων, οὕτως λέγων:<sup>4</sup>

Terra quidem terram cernimus, aqua vero aquam  
Aethere vero aethera divum, sed igne ignem exitiosum.  
25 [302] Amore vero amorem odiumque odio luctuoso.

<sup>2</sup> ή δὲ χθῶν τούτοισιν ἵση συνέκυρσε μάλιστα // Ἡφαίστῳ τ' ὅμβρῳ τε καὶ αἰθέρῳ παμφανόωντι // Κύπριδος ὁρμισθεῖσα [όρμηθεῖσα] τελείοις ἐν λιμένεσσι; [EMP.Fragm. 98.7 – 9]

<sup>3</sup> καὶ φθίνει εἰς ἄλληλα καὶ αὔξεται ἐν μέρει αἴσης.// αὐτὰ γὰρ ἔστιν [ἔστι γε] ταῦτα, δι' ἄλλήλων δὲ θέοντα [δέοντα] // γίγνονται ἀνθρωποί τε καὶ ἄλλων ἔθνεα θηρῶν [κηρῶν]. [EMP.Fragm. 26.4 – 6]

<sup>4</sup> γαίη μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ, αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖαν, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀἴδηλον, στοργῇ δὲ στοργήν, νεῦκος δέ τε νείκει λυγῷ [ARIST. de An. 404b.13 – 15]

<sup>i</sup> Prvi odlomak grčkoga teksta nije preveden na latinski, usp. ARIST. de An. 404b.8 – 12.